

terra marique sortita, cum seculi hujusce tertius & quinquagesimus ageretur annus. reliqui ad centum, fœdo agmine, rerum omnium inopes, diu errabundi, variis casibus ad sex & viginti redacto numero, cum pro captivis haberentur, denique ab naviculario Lusitano, qui eboris mercandi causa regionem eam a Mosambico petierat, festertis in capita quaternis redempti. in iis Pantaleon fuit, qui ante hoc biennium, exacta jam ætate, verum prævalens viribus, Olisipone subito nervorum stupore apoplecticus obiit. Cæterum tanta Sofæ calamitas longe lateque vulgata misericordiam hominum civit: cupiditatem & audaciam non imminuit. Anno quippe insequenti, navarchi alii quinque Lusitaniam versus Cocino solve-  
re. Fernandus Alvarus Capralis cunctis præerat. Ex iis navibus una tantum Olisiponem post varia discrimina tenuit, aliarum incerti eventus, Prætoria excepta, cui a Sancto Benedicto erat nomen. Hæc quantum patebat constipatis ad summum oneribus, vix ut nautico ministerio spatia superessent, in medio cursu adversis ventis & fluctibus labefacta; cum deploratam duceret sentinam, ipsa item circa Bonæ spei promontorium ad littus, quod appellant Natale, vi tempestatis allisa dirumpitur. Inter enatandum periere ad ducentos. cæteri ferme debilitati ac semianimes deserto in litore corpora postravere. Mesquita Perestrellius, qui cladi superfuit, ac totam accurate descripsit, varios insolitosque addit terrores. Ingruente procella, cacodæmonum choreas in sublimi visas. ab infortunio dum se miseri ad viam parant, silentio noctis nautica errantium ibidem animarum exaudita celeumata. Cæterum hi naufragi iisdem ferme quibus priores itineribus casibusque, illuvie obsiti, macie enecti, cum a trecentis amplius ad tres circiter & viginti rediisset summa, redempti pariter a Lusitanis negotiatoribus, miseriarum & patientiæ documentum, ad Sofalam atque ad Mosambicum ægerrime pervenere. Sub idem tempus, Alphonso Noroniæ, cum circiter quadriennium provinciam administrasset, successor advenit Petrus Mascarenias idem, qui Xaverium, olim ex urbe Roma in Lusitaniam adduxerat. Is, qua erat in Deum pietate, bonis majorem in modum approbantibus, ante omnia ad avellendos ethnicos ritus ac superstitiones, quarum adhuc erant in urbe Goa multæ reliquæ, studium & cogitationes intendit. simul neophytorum libertati, commodis, immunitatibus, e Regis decreto cum fide curaque consuluit. Idem, sollicitantibus iterum ab Idalcanis odio Mahometanis proceribus, ac præsertim Inele Maluco, Mealem, qui Goæ dudum in libera custodia tenebatur, cum equitum peditumque præsidio in finibus Decanii regni, Pondæ constituit. Goam dein regressus, vix dum anno vertente Præturæ, morbo decessit. Huic e regio chirographo rite suffectus e prima nobilitate Franciscus Barretus. Hoc Prætor, Mealem a Ponda Inel Malucus cum duobus equitum millibus in Decaniæ terræ interiora perduxit. Ab rerum novarum cupidis, quique sævo tyranni servitio premebantur, ad mitem ingenio virum ac justum regni hæredem concursus illico fieri cœptus; neque se Idalcan adversus ea segniter comparabat. Inter cætera, diffusus popularium voluntati, magnas firmasque copias e Narsingano regno haud levi mercede conduxerat, ac postremo signis collatis, haud dubie victor evasit. Meales ad Nizamalucum e fuga se contulit. Goam inde repetiit. ibi reliquam exegit ætatem. Prætor interea firmando imperio intentus, Ciaulanam arcem, vicino subjectam & obnoxiam colli, in eum ipsum collem transferre statuerat. Coacta ergo in id classe, cum fabris alioque apparatu Ciaulum  
petit.